

cap. Nisi, verbo *Præter*, de Renunc. Sed hoc commune est censuris. Quæ tamen in hoc differunt, quod, per seloquendo, tollendæ sunt post condignam satisfactionem, quod non ita est in irregularitate. Sed adhuc manet illud indicium commune suspensioni, quæ est pœna vindicativa, vel simpliciter, si perpetua sit, vel pro tempore designato, si habuit certum terminum. Determinabitur autem illud indicium ad irregularitatem, si tale impedimentum commune sit laicis. Ratio est, quia tunc non potest esse depositio aut suspensio, hæc namque propriæ sunt clericorum; ergo est irregularitas, quia nullum aliud impedimentum fingi potest. Confirmatur ex dictis circa definitionem irregularitatis; nam hoc impedimentum, quod extenditur ad laicos, per se ac primario privat ipsis Ordinibus seu acceptione illorum, quod est proprium irregularitatis. Unde hoc potissimum est in verbis canonum considerandum, an directe intendant excludere ab Ordinum susceptione; quod si ex verbis non satis expresse constiterit, indicium infallibile erit, si illa privatio etiam laicos comprehendat, quod variis exemplis statim confirmabimus.

13. *An sit aliqua irregularitas clericorum propria.* — Prius enim interrogare potest aliquis, esto hoc indicium sit certum, an sit adæquatum, quod est quærere, an omnis irregularitas sit communis laicis, vel sit aliqua clericorum propria. Respondeo, si ad formalitatem irregularitatis respiciamus, de se quamlibet irregularitatem esse communem laicis, maxime si sit irregularitas simpliciter et totalis. Si autem respiciamus ad causam irregularitatis, aliquando est ita clericorum propria, ut non possit in laicis inveniri, ut patet in irregularitate, v. gr., quæ contrahitur propter violatam excommunicationem per executionem Ordinis Ecclesiastici; hæc enim causa non potest in homine mere laico reperiri. Et ideo in his irregularitatibus, quæ ob dictam causam sunt propriæ clericorum, aliquando potest esse res magis obscura, an scilicet talis pœna sit vera irregularitas, vel tantum suspensio, si nomen irregularitatis in ipso jure non exprimitur. Existimo tamen, regulariter loquendo, pro hujusmodi casibus esse sufficienter et sub proprio nomine expressam in jure irregularitatem. Si alicubi tamen non fuerit res ita clara, consideranda erant alia verba.

14. *Nonnullæ irregularitatis formulæ proponuntur.* — *Notandum circa tres ultimas*

formulas. — Ex dictis colligere possumus nonnullas dicendi formulas, quæ in jure inveniuntur, sufficienter indicantes irregularitatem, ut sunt omnes illæ, quæ excludunt hominem ab ordinatione seu clericatu. Prima, can. 18 Apostolorum: *Non potest esse clericus.* Secunda, can. 21: *Ne sit clericus*, scilicet, qui seipsum mutilavit. Unde quod statim, c. 22, de clerico idem crimen committente dicitur, *deponatur*, plane non significat sententiam depositionis, sed executionem irregularitatis contractæ, quam ipsemet criminosus per se observare tenetur, etiamsi ab alio non cogatur. Et ideo in Concil. Nicæn. I, c. 1, ubi canones repetuntur, dicitur: *Abstinere convenit*, vel, ut alia habet translatio, *cessare debet.* Quæ cum aliis habentur dist. 56, cap. Si quis. Tertia, ex can. 60 Apostolorum: *Ad clericum ne promoveatur*; et videtur esse sermo de illo, qui juris infamiam contraxit. Et similia verba habentur in cap. Clericus, 3, 46 dist. Quarta, ex can. 78 Apostolorum: *Ne fiat clericus*, loquitur de energumeno. Quinta, ex c. 1 de Cleric. non ordin. ministr.: *Nunquam ordinetur*, loquitur de omni non ordinato, qui in Ordinibus fide ministrat. Circa has vero tres ultimas formulas advertere oportet, dari per verba de futuro et præceptiva, quæ per se potius diriguntur ad Prælatos Ecclesiæ, quam ad ipsos criminosos, et ideo videri possent non continere pœnam ipso jure latam, quia requirunt actionem hominis, ad quem dirigitur tale præceptum. Nihilominus tamen hoc non obstat, quominus verba illa sufficiant ad irregularitatem ferendam. Est enim considerandum, illa verba non præcipere impositionem pœnæ, sed executionem, et ideo supponere pœnam jam incursum, seu (quod perinde est) illam efficaciter imponere in actu exercito. Sicut si excommunicatio a canone feratur sub hac forma: *Si quis hoc fecerit, nullus cum eo communicet*, significatur, excommunicationem ferri ipso facto, ut in superioribus dictum est. Ratio vero est, quia executio pœnæ supponit pœnam impositam; ergo quando lex immediate præcipit privationem aliquam ut observandam ex vi sua, simul imponit illam privationem ut pœnam vel impedimentum ipso facto incurrendum, sive id præcipiat ex parte ipsius rei, qui abstinere debet, sive aliorum, qui illum debent vitare; hæc enim duo correlativa sunt, et in uno aliud includitur. Et ideo interdum lex fertur explicando prohibitionem ex parte personæ quasi patientis, interdum vero ex parte ipsius agentis, ut in dictis for-

mis, et clarius in cap. Præcipimus, dist. 34, ex Gregor., lib. 2, epist. 25: *Præcipimus ne unquam illicitas ordinationes facias*; et infra: *Si quos hujusmodi repereris, non audeas promovere.* Loquitur autem aperte de bigamia et aliis defectibus inducentibus irregularitatem. Similiter in cap. Si laici, dist. 34, dicitur: *Ad ministerium Ecclesiasticum nullo modo adducatur.* Et in cap. sequent.: *Non admittatur ad clericum.*

15. *Per privationem sacerdotii sæpe totalis irregularitas significatur.* — *Clericus in quo sensu in lege ferente irregularitatem sumatur.* — Sexta forma sumi potest ex c. Curandum, 34 dist., ibi, *non aspiret ad Ordines*, et loquitur de bigamo. Et in originali, Concilio Romano sub Hilario, c. 2, statim additur de simili irregulari, *repellendum esse*, etc. Et in c. 3 de aliis irregularibus dicitur: *Ad sacros Ordines aspirare non audeant.* Septima sumi potest ex cap. ultim., 55 dist., ibi: *Illi non possunt secundum canones sacerdotii jura concedi.* Sicut etiam in can. 16 Apostolorum dicitur: *Non potest esse ex numero sacraotali.* Octava sumi potest ex cap. Miror, 50 dist., ibi, *sacerdotio privatus*; quanquam enim hoc verbum generale sit, et degradationem vel depositionem significare possit, tamen ex circumstantiis et materia de qua agebatur, scilicet, de homicidio voluntario, satis determinatur ad significandum irregularitatem. In quibus formis advertere licet, sæpe fieri mentionem solius sacerdotii, ideoque non videri verba sufficientia ad inducendam irregularitatem totalem, quæ includat privationem inferiorum Ordinum. Nihilominus tamen dicendum est, regulariter per illa verba significari totalem irregularitatem, vel nomine sacerdotii totum statum clericalem comprehendendo, vel certe quia inferiores Ordines ad sacerdotium ordinantur, et ideo qui a sacerdotio removetur simpliciter ac perpetuo, ad alios etiam Ordines censetur fieri inhabilis, nisi talis sit irregularitas, quæ alios Ordines supponat, et sine crimine contrahatur, ut in superioribus tactum est, et ex dicendis in particulari evidentius constabit. Hunc autem esse sensum dictorum canonum constat ex dicto cap. Miror, ibi, *sacerdotio privatus*, et tamen loquitur de homicida; et similiter loquuntur de bigamo canones Apostolorum, et idem reperietur in aliis. Dico autem *regulariter*, quia aliquando est proprie et in particulari sermo de sacerdotali Ordine, quod ex circumstantiis legis colligendum erit. E con-

xxiii bis.

trario vero cum de irregularibus dicitur, non admitti ad clericum, vel ad Ecclesiasticum ministerium, sumendus est clericus proprie prout per Ecclesiasticos Ordines constituitur. Aliquando enim comprehenduntur sub cleri nomine omnes Ecclesiasticæ personæ, in quibus sunt religiosi, etiamsi Ordinem non habeant; quomodo sumitur in cap. Duo sunt, 12, q. 1, et in cap. Si quis suadente, 27, q. 4; proprius vero sumitur pro solis ministris Ecclesiasticis soletque formaliter a monachatu distingui, ut in cap. Alia, cum multis, 16, q. 1. Atque in hac proprietate sumitur in canonibus, quæ illis verbis irregularitatem imponunt.

16. Ultimo præter dictas formulas numerat alias Maiol., lib. 1, cap. 1, de Irregular., quæ, vel non inveniuntur, ut quomodo citatur ex cap. De laicis, dist. 34; nullum est enim tale caput in illa; dist. 12 autem, q. 2, ubi invenitur, nullum habet verbum quod irregularitatem indicet. Vel non sunt verba juris canonici, sed Gratiani, ut quæ citantur ex d. 81, post cap. 1, vers. *Quolibet*, ibi, *ordinari non debet*, quæ ibi non significant irregularitatem, sed obligationem non ordinandi indignos. Similiaque sunt, quæ citantur ex dist. 42, in princip., ibi: *Prohibendi sunt a sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni.* Vel certe talia sunt verba, quæ censuram potius, vel ad summum pœnam Ecclesiasticam in communi significant, ut in cap. Tanta, d. 86, ibi: *Fixa jam maledictione feriremus.* Quæ vero citantur ex cap. Consequens, dist. 88: *A clericalibus officiis abstinere cogantur*, suspensionem aperte significant, et ferendam potius quam latam. Sicut etiam illa ex cap. Episcopi, 12, quæst. 1, *communione privetur*, significant excommunicationem ferendam. Denique addit prædictus auctor, sæpe jura canonica uti hac voce, *animadversio*, quæ vox jure civili accipi solet pro pœna debita pro capitali crimine, quomodo videtur accipi in cap. In nonnullis, de Judæis, unde respectu clericorum significare dicitur degradationem, post quam tradendus est clericus brachio seculari, et citat Felin., in dict. cap. In nonnullis, et Hostiens., in cap. In quibusdam, de Pœnis, n. 5, qui nullam mentionem faciunt irregularitatis. Sed Maiolus de suo addidit, vocem illam consequenter significare irregularitatem; sed formaliter non sequitur, nisi aliunde constet, quia degradatio, nec est irregularitas, nec illam secum affert, proprie loquendo. De illa ergo voce, *animadversio Ecclesiastica*, recte concludit Felin. supra, in

sine, cum Dominico, esse ambiguam et valde generalem, et juxta materiam subjectam de illa judicandum esse. Et ego addo, magis significare poenam ab homine imponendam, quam a jure latam, et ideo raro ad irregularitatem accommodari.

DISPUTATIO XLI.

DE MODIS QUIBUS TOLLITUR IRREGULARITAS, PRÆSERTIM DE DISPENSATIONE EJUS.

Irregularitas poena auferibilis. — *Major, lib. 4 de Irregularitate, cap. 2, num. 22.* — Antequam ad particulares irregularitates descendamus, necesse est, ut sicut generalem doctrinam de irregularitate, quantum ad ejus institutionem et effectum tradidimus, ita etiam de modis quibus auferri potest dicamus. Supponimus autem irregularitatem auferri posse, ut constat ex Ecclesie usu, et ex eo, quod neque est impotentia simpliciter, neque poena irremissibilis. Quanquam non desint, qui distinctione utantur, dicentes, quamdam esse irregularitatem magnam, quæ dispensatur, aliam vero maximam, quæ nunquam dispensatur, ut quod cæcus ordinetur. Sed non est necessaria distinctio, quia si defectus talis sit, ut omnino sit indispensabilis, revera non est propria irregularitas, sed erit impotentia aliqua, vel impedimentum jure divino vel naturali impediens, vel simpliciter, vel digne recipere, vel ministrare Ordines. Si vero impedimentum est dispensabile, quod majorem vel minorem requirat causam, et quod frequentius, aut rarius dispensetur, non refert, neque variat rationem irregularitatis. Supposito ergo, quamcumque propriam irregularitatem tolli posse saltem per dispensationem, duo a nobis præcipue videnda sunt. Primum, an possit aliquando sine dispensatione tolli, et consequenter quæ requirantur ad talem dispensationem. Secundum, apud quem sit potestas dispensandi in hoc defectu.

SECTIO I.

Utrum possit irregularitas aliter quam per dispensationem tolli.

4. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi esse potest, quia irregularitas est impedimentum de se perpetuum jure canonico introductum; ergo nunquam potest tolli, nisi per dispensationem in jure. In contrarium vero est, quia censura non tollitur per dispensationem, sed

per absolutionem; ergo etiam irregularitas, nam videtur esse eadem ratio. Aliunde vero etiam apparet, neque absolutionem, neque dispensationem esse necessariam vel possibilem, quia vel cessat causa irregularitatis, vel non; si cessat, eo ipso tollitur irregularitas sine alia indulgentia superioris, ex regula illa, *Cessante causa, cessat effectus*, quæ in præsentem maxime locum habere videtur. Quia irregularitas fertur præcipue propter indecentiam; hæc autem auferitur cessante causa; ergo auferitur etiam irregularitas. Unde e contrario si causa non cessavit, non poterit tolli irregularitas etiam per dispensationem, quia semper manet indecentia; non videtur autem posse per dispensationem fieri, ut cum indecentia licite Ordines suscipiantur vel administrantur.

2. *Regula universalis.* — *De ablatione irregularitatis per baptismum.* — *Richardi opinio.* — *Aliorum sententia.* — *Tertia opinio.* — In hac re communis doctrina est, irregularitatem et per dispensationem, et aliis modis tolli posse. Ita Sylvest., verb. *Irregularitas*, in fine, et alii Summistæ, eodem verbo. Qui præcipue tres modos assignant tollendi irregularitatem, scilicet, per baptismum, per religionis ingressum, et per dispensationem. Sed quod ad baptismum attinet, dictum in superioribus est, ante illum nullam esse propriam irregularitatem, et ideo non proprie dici, irregularitatem tolli per baptismum, sed dicendum potius esse, defectum existentem in homine ante baptismum non reddere hominem irregularem post baptismum. Hæc autem regula sub hac generalitate non admittitur ab omnibus. Nam Richardus, Quodlib. 2, 22, absolute negat irregularitatem aliquam tolli per baptismum, etiam illam, quæ propter culpam contrahitur, quia irregularitas, inquit, non contrahitur sub ea ratione qua culpa est, sed sub aliqua alia. Alii generaliter admittunt illam regulam, estque consentanea doctrinæ Hieronym., epist. 83 ad Oceanum. Alii distinctione utuntur, nam de irregularitate, quæ provenit ex peccato, vel ex sequela peccati, quæ est infamia, asserunt non induci in baptismum propter peccata quæ præcesserunt. De alia vero irregularitate, quæ sine peccato contrahitur, oppositum docent. Quæ fuit opinio Hostiensis, Joannis Andreae, et aliorum, quam videtur sequi Maiol., lib. 4 de Irregul., cap. 2, num. 8, reg. 43. Sed tamen Abbas in cap. Gaudemus, num. 6, de Divortiiis, cum aliis, licet admittat primum membrum hujus

distinctionis, secundum subdistinguentem putat, nam in aliquibus admittitur, ut in illa quæ provenit ex bigamia, juxta sententiam Ambrosii, lib. 3, epist. 25; et Augustini, lib. de Bono conjugali, cap. 48. Idemque esse de irregularitate ex defectu natalium affirmat Sylvester supra, quæst. 28. Addunt tamen hi Doctores, aliquam irregularitatem, quæ sine culpa contrahi solet, ut est illa, quæ dicitur ex defectu lenitatis, impediri ratione baptismi. Quod etiam tenet Angelus, verb. *Irregularitas*, 2, et Armil., num. 87. Sed hoc loco non possumus particulares quæstiones tractare aut definire. Et ideo neque possumus regulam omnino generalem constituere, nam hæc pendet ex particularibus quæstionibus. Possumus autem cum hac exceptione generatim dicere, in homine denuo baptizato nullam manere irregularitatem ratione præcedentium actionum aut conditionum, nisi ubi oppositum sufficienter in jure constiterit. In hoc enim videntur fere convenire Doctores citati. Et congrua ratio reddi potest, quia per baptismum denuo regeneratur quis et efficitur quasi novus homo, et ideo per se loquendo ac regulariter, omnis macula et indecentia ab eo tollitur, præsertim illa quæ in culpa fundatur. Deinde omnis irregularitas est de jure positivo; omne autem positivum jus, generatim loquendo, dirigitur ad baptizatos; ergo non est extendendum ad defectus commissos ante baptismum, nisi id fuerit in jure expressum. Hæc igitur generalis regula contra Richardum observanda est. An vero in casu bigamiæ, vel alio, admittenda sit exceptio, suo loco dicemus.

De secundo modo ablationis irregularitatis per ingressum religionis.

3. *Vide Felin., c. Cum deputati, de Judic., num. 2, et Addit. 2, ibid.* — *Prima sententia.* — *Secunda sententia.* — *Tertia sententia et vera.* — Circa secundum modum tollendi irregularitatem per ingressum religionis advertendum est, aliud esse irregularitatem tolli per religionis ingressum ipso facto et sine alia dispensatione, aliud vero irregularitatem ante religionis ingressum contractam, per illius ingressum fieri dispensabilem per religionem ipsam seu Prælatos ejus. Rursus in utroque casu loqui possumus, aut de jure communi, aut ex privilegiis religionum. Hic præsertim loquimur de jure communi, de quo variae sunt sententiæ. Quidam enim asserunt,

omnem irregularitatem tolli per professionem religionis. Quod tenuit Gloss. ult., in c. Cum deputati, de Judiciis, citans cap. Non liceat, 19, quæst. ultim., ubi solum dicitur, filium, qui ingressus est religionem, non posse licite exheredari a patre propter ingratitudinem quam ante religionem commiserat, quod est longe diversum, nec potest extendi ad irregularitatem cum sufficienti fundamento, ex vi illius textus. Eandem vero opinionem tenet Glossa in c. ult. de Filiis Presbyt., quæ etiam citat Authenticam de Monach., in princ., quæ communiter ad hoc allegatur; sed immerito, quia non loquitur de ingressu, vel professione religionis, sed de vita et conversatione religiosa; nec loquitur de irregularitate, sed de macula morali, ut recte Glossa ibi exposuit. Quocirca tam universalis regula non videtur in jure fundata; et ideo alii distinguunt de irregularitate contracta ex peccato, vel sine illo, et de posteriori affirmant tolli per ingressum religionis, non vero priorem. Et citatur Gloss., in cap. Quantumlibet, 46 dist., quæ non loquitur generaliter. Id autem asseruit Glossa in cap. 2 de Apostatis, quamvis in fine non videatur esse constans in hac sententia; neque existimo posse aliquam ex illis partibus ex jure generaliter probari. Et ideo alii negant posse aliquid circa hoc universe affirmari, nisi hoc solum, quod illa tantum irregularitas per religionem tollitur, cui hoc est jure concessum, quæ fuit sententia Panorm., in cap. 2 de Apostatis, n. 7, et per se considerata videtur valde probabilis. Quia si alicubi jura loquuntur de hoc modo tollendi irregularitatem, non loquuntur in generali, sed in particulari de una vel alia, ut videre licet in cap. 4 de Filiis Presb., cum similibus. Neque in his rebus argumentum a simili est efficax, ut sæpe dictum est. Unde in aliis juri- bus significatur, esse necessariam dispensationem, facilius tamen concedendam in favorem religionis, cap. 2 de Apostatis. Ergo nulla potest generalis regula assignari, sed in singulis irregularitatibus consulenda sunt jura. Atque hanc partem secuti sunt Angel. et Sylv., v. *Irregularitas*, in fine, et Arm., n. 88. Addit vero Sot., 4, d. 25, quæst. 1, art. 3, nunc de facto hunc morem in religionibus servari, ut omnis irregularitas per religionis ingressum tollatur, excepta bigamia, et homicidio voluntario, sive, inquit, hoc fuerit obtentum jure communi, sive consuetudine vel privilegio. Cujus quidem assertioni, quantum ad factum seu morem suæ religionis